



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Disp. CCI. An accipiat Angelus species à rebus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

nere obiecti possunt esse supernaturalis ordinis. E enim multa futura ex libertate arbitrij sunt entia naturalia in genere rei : & tamen in genere obiecti sunt supernaturalia, ita vt, quatenus futura, non cognoscantur ab Angelis naturaliter: neque illorum species naturalis ordinis angelis infundi possint: alioquin non esset causa, ob quam tales species illis non essent ab initio creationis concessæ.

DISPUTATIO CCL.

An accipiat angelus species à rebus.

Opinio Scoti, & aliorum, cap. 1.

Angelum nullas species accipere à rebus, communis, & re-
rior sententia adstruit, cap. 2.

Quo pacto has species Angelus habeat ab initio ingeni-
tas, cap. 3.

CAPVT I.

Opinio Scoti, & aliorum.

INTER eos, qui intellectui Angelico species concedunt, vt ipsis instructus intelligere possit, dissensio est de modo, quo tales species Angelo conueniunt. Prior opinio est eorum, qui docent, eodem modo Angelum accipere species à rebus, sicut noster intellectus à sensibus eas abstrahit. Ita affirmat Scotus in 2. dist. 3. q. 11. præsertim. §. Resp. Ricar. artic. 6. q. 1. Maior q. 7. Bassolis q. 4. ar. 2. & 3. Marfilus in 2. q. 7. art. 1. 2. p. ar. conclusiones 5. 8. & 9. & Alexand. 2. p. q. 2. 4. memb. 2. & 3. ex quibus Alexand. nulla facta distinctione asserit, omnes species angeli à rebus esse acceptas, & nullas infusas ab initio creationis: loquitur autem de speciebus rerum spiritualium in memb. 2. de speciebus autem rerum materialium in memb. 3. Ceteri vero auctores dicunt, rerum incorruptibilium, & vniuersalium species esse Angelo ab initio suæ creationis ingentitas, rerum autem singularium, & corruptibilium esse à rebus ipsis postea derivatas: intelligunt autem meo iudicio, species earum solum rerum incorruptibilium, quæ ab initio cum ipsis angelis creatæ fuerunt, ipsis ingentitas fuisse à principio suæ creationis: at vero rerum incorruptibilium, vt animarum, quæ post ipsos Angelos futura erant eodem modo ab ipsis rebus decursu temporis esse acceptas, sicut ab alijs rebus corruptibilibus; namque in eorum sententia idem omnino sequeretur absurdum, si rerum futurarum incorruptibilium species ab initio angeli habuissent, nempe res aliquas futuras recte ab ipsis cognosci.

Probant igitur, species rerum singularium nondum angelis præsentium, à rebus ipsis desumi; quia alioqui si queretur, omnia futura etiam contingentia ab Angelo cognosci, antequam sint, si ab initio secundum esse species omnium illorum habuissent: hac ratione prædicti Doctores vtuntur, excepto Scoto, qui asserit, potuisse quidem angelos habere species omnium rerum singularium, & futurarum contingentium, nihilominus non cogitare futura contingentia, quia per illas species Angeli non cognoscere connexionem actualis existentie cum tali re. Ipse igitur alia ratione vtitur nimirum, quia essent infinite species in angelo, si omnium futurorum spec-

Vasquez in 1. part. tom. II.

cies ab initio haberet, eo quod futura contingentia infinita sunt: existimat enim, vt inferius videbimus, non posse esse vnam speciem, quæ plura repræsentet, sed singulatum rerum & operationum singulas quoque species esse assignandas.

Duo tamen addit Scotus: vnum est, si Angelus non haberet aliquas species ingentitas ab initio singulas accipere posset à rebus, in quo alij auctores ab Scoto non dissentirent: nam si aliquas accipere posset, cur etiam omnes non posset? Dicit tamen de facto Deum aliquas species Angelis infudisse: vt ipsum ornatum & perfectum crearet: id quod expresse cum Scoto notantur Bassolis, & Maior locis allegatis; alterum est, etiam si Angelus haberet species rerum singularium futurarum ad notitiam tamen intuitiuam aliquid à rebus acciperet: id ipsum docuit Maior loco citato: existimant enim, notitiam intuitiuam non fieri per solam speciem & conceptum proprium rei, sed esse notitiam rei vt actu existentis, & præsentis, ac proinde ad illam non sufficere speciem propriam rei antea infusam, nisi tunc aliquid angelus à rebus accipiat. Consentit etiam Gabr. in 2. q. prologi ar. 2. notatione 2. ex doctrina Ocam.

Verum Scotus in hoc non omnino cum alijs conuenit. Alij enim docent Angelum accipere species intelligibiles à rebus, quibus postea eliciat intellectionem: Scotus vero asserit, angelos accipere notitiam ipsam intuitiuam à rebus ita, vt intellectus cum re ipsa singulari præsentia producat cognitionem intuitiuam ipsius, quannus ex hac noticia (vt ait Scotus) relinquatur species ad notitiam abstractiuam, hoc est, ad notitiam rei non existentis, aut sine existentia consideratæ. Ita docuit quæst. 10. §. Ad questionem circa finem illius. Quomodo vero Scotus differat à Gabriele, Ocamo, & Gregorio, diximus præced. disputat. cap. 1. illi enim nullam speciem in angelo esse concedunt: Scotus autem plures esse dicit, & solam notitiam intuitiuam à rebus accipit: quare non recte videtur Caietanus Scoti sententiam recte habere infra q. 57. art. 2. Pro hac opinione adduci solet August. 12. de Trinit. cap. 7. ait enim Deum non videre ad tempus, nec aliquid noui fieri in eis visione, cum aliquid in tempore nōdiceret fit, Sicut (inquit) inde efficiuntur sensus vel carnales animalium & hominum, vel celestes Angelorum. Huic tamen testimonio primum respondemus, mirum non esse, si huius sententia fuerit August. qui vt vidimus disputat. 179. cap. 2. non dubitauit asserere, Angelos corporeos esse. Qui vero docent esse spirituales, vt Scotus affirmat, negare debent ipsos aliquid posse pati à corpore. Deinde dico, illud intelligi posse non quia Angelus immutetur à re præsentate, vt ab efficiente sed quia nō intelligit futura, donec præsentia sint, vt disp. 106. & 107. ostendimus.

CAPVT II.

Angelum nullas species accipere à rebus, communis & re-
rior sententia adstruit.

Sententia communis amplectenda nobis est, quæ docet, angelum nullas species sumere à rebus ipsis, quam tradiderunt Sanctus Thomas, Caiet. & alij Thomistæ in hoc art. idemque S. Th. 1. 2. q. 6. & Ferrar. ibid. Albertus in 2. part. summa tractatu 1. q. 14. memb. 3. artic. 2. 1. part. articuli. Albert. & ad primum, & lib. de quatuor coeuis 1. parte quæst.

Tr 2

3. artic.

Thomas
de Argem.
Bonauent.
Capreol.
Aegid.

Hierma.
Henri.

5.

Ratio pro
hac opinio-
ne efficax.

5. artic. 12. Thomas de Argem. in 2. dist. 3. quest. 2. art. 4. 2. parte conclusionis 1. & 2. Bonauent. 2. parte dist. 1. art. 2. q. 1. Capreol. quest. 2. art. 1. conclus. 3. & 4. Aegidius 2. parte quest. 2. art. 1. in resolutione 2. dub. & art. 2. Henricus quest. 4. art. 3. cum quibus convenit Henricus loco allegato in precedenti disputat. quamvis enim dicat, Angelum intelligere res omnes non per varias species, sed per unum habitum, tamen illum docet non esse à rebus adquisitionem, sed cum Angelo simul creatum. Omnis vero pluribus alijs, hac unica ratione, hac sententia probatur, & refutatur opposita.

Si Angelus species à rebus presentibus acciperet, uno ex tribus modis fieri deberet, aut enim sola res praesentes deberent esse causa integra & perfecta specierum in intellectu angelico, aut ipsae res cum intellectu deberent concurrere ad producendas species, ita ut res essent causae, quas vocantur partiales; aut denique solus intellectus angelicus deberet esse causa specierum: sed nullo ex his modis fieri id potest: ergo non est afferendum, Angelum species accipere à rebus. Primo res ipsae extra intellectum existentes non possunt esse tota & integra causa: tum quia si sint res materiales quia materiale & corporeum in spirituale, quod nobilius est, agere nequit: nihil enim corporeum virtute sua producere potest formam spirituales, cuius solum capax est angelus, & substantia spiritualis: tum etiam quia etsi res ipsae & obiecta sint spiritualia, hoc modo species procedere nequeunt: quia, ut disputatione 217. ostendimus, angelus sua virtute solum potest imprimere motum secundum locum corporibus: at qualitatem aliquam producere certe non valet: ergo nec speciem sui in alio Angelo.

Secundo res ipsae & obiecta non possunt species producere ut causa partialis. Nam vel essent hoc modo causa specierum propria virtute, vel tanquam instrumenta eleuata à virtute intellectus angelici: non propria virtute, ob rationem superius factam. Non ut instrumenta: nam quamuis dicamus phantasma materiale, & corporeum esse in nobis instrumentum ad producendas species in nostro intellectu, idem non debemus asserere de rebus, quae sunt extra intellectum Angelicum collatis cum ipso. Phantasma enim, quia nobis coniunctum est, potest naturaliter eleuari à nostro intellectu agente per ordinationem quandam naturalem, qua sub illo constituitur hoc ipso, quod coniunctum est: at res separata quo pacto possent ut instrumenta ab intellectu angelico eleuari, cum etiam respectu Dei satis difficilis sit talis eleuatio rerum ad superiores effectus producendos? At idem, quod qua ratione possent assumi ut instrumenta ad producendas species intelligentes, sicut voluit Scotus. Frustra igitur prius assumerentur ad producendas species, quam intelligentes ipsas.

Tertio, produci non potest species efficacitate & virtute solius intellectus absque cooperatione aliqua rerum & obiectorum; quia eadem ratione dicere posset aliquis praesentibus rebus & obiectis fieri cognitionem, nec opus esse speciei impellere, qua reddatur intellectus potens in actu primo. Tum etiam ut intellectus agens, qui est ex se potentia communis & indifferens determinaretur ad productionem huius, vel alterius spe-

ciei, indigeret alia causa particulari, cui instrumentum, à quo determinaretur, ergo ex se non magis abstraheret hanc speciem quam illum causam autem particularem aut instrumentum non haberet, ut supponimus: ergo sola virtute illius abstrahi nequeunt species intelligentes. Dices determinaretur à rebus ipsis tanquam ab obiecto semantia. Hoc certe est impossibile. Nam quamvis efficiens aliquod determinaretur à subiecto & materia, circa quam operatur, ratione cuius variis effectus producit, & facultas cognoscens ad obiectum, quod cognoscit, determinari etiam posset à rebus, ut à materia, quia non operatur aliquod circa illas, neque ut ab obiecto, quia non sunt obiectum illius, ergo neque hoc modo ab illis determinari potest. Hac ratione probatur, angelum non posse accipere species à rebus, ac proinde non esse in angelo intellectum agentem. Nam si quae ratione deberet esse, maxime ad specierum productionem, ad nullum enim alium effectum necessarius est, ut disput. 198. ostendimus.

Ex dictis etiam consequitur, falsam esse sententiam Gabrielis, & Gregorij, Ocam & Ballol. afferentium, res ipsas extra intellectum angelicum existentes esse causam efficientem cognitionis, praesentem intuitum, quam angelus habet de ipsis. Eodem modo colligitur, falsum esse id, quod ait Scotus, notitiam videlicet intuitum rerum singularium proxime esse ab obiecto, si intelligatur eo esse ut ab efficiente. Quod si intelligatur esse ab obiecto per modum causae formalis speciem tribuitis & terminantis cognitionem, idem dicere debebat de omni cognitione: quare non esset hoc peculiare in intuitum.

Demum etiam falsum existimo, quod asserit Scotus, etiam si Angelus futura cognoscere, & per proprias species, & conceptum secundum propriam existentiam tali tempore futuram, nihil minus ipsis iam praesentibus eorum notitiam mutandam, ut quae erat abstractiva, fieret intuitiva, eamque à rebus ipsis derivandam. Certe enim, abstractivam & intuitivam notitiam differre secundum substantiam. Definuit autem intuitum quodlibet, 3. artic. 7. circa secundum quatuor, & in 2. dist. 3. q. 9. in ordine quae incipit, *Secundo, quoniam*. Ad quod, igitur, ut existentis actu & praesentis quem sequitur Gabriel quest. 1. prologi artic. 2. notat, hoc igitur falsum existimo, nam si semel angelus haberet propriam cognitionem futurorum pro tali tempore, nunquam aliquid ex ipsorum praesentia in cognitione immutaretur, ideo est, quia non habebatur prius propria aliqua notitia illarum, ut futurae erant. Quod si talis haberetur, certe praesentia rei nihil mutaret, sicut diximus supra dist. 64. cap. 4. de oculo qui videret in absentia obiecti, ut fieri posset: quare recte notavit *Maier in suis dist. 3. q. 10.* fieri posse à Deo intuitivam notitiam rerum futurarum, antequam sunt praesentes. Cum vero dicit in eadem dist. q. 7. in probatione, conclusionis aliquid mutari in cognoscitore, quam habebat angelus prius, quando iam rem sequebatur, adeo asserit, quia existimas, nunc Angelum non habere propriam notitiam futurorum antequam fiat.

CAPUT III.

Quo pacto has species Angelus habeat ab initio ingenuitas.

QUO autem modo species, quas Angelus habet, fuerint ab initio intellectui ipsius ingenitæ, inter Doctores posterioris sententiæ dissen- sio est. Nonnulli dicunt, species esse veluti passio- nes naturaliter ab essentia profectas ita *Caietanus* 1.2. q. 50. art. 6. vbi inquit, Angelum dupliciter accipere habitus ab exteriori, vno modo quasi ad- uentitiam qualiteratem, quales putat esse habitus supernaturales: altero modo quasi qualiteratem congenitam ab auctore naturæ, sicut grauiæ & le- uia habent motum à generante: & hoc pacto An- gelos habere species intelligibiles rerum: per qualiteratem vero congenitam non intelligit simul genitam cum Angelo, sic enim & gratiam, & ha- bitus supernaturales hoc posteriori modo angelo fuisse communicatos existimaret; sed intelligit qualiteratem, quam vocant conaturalem, & veluti passionem ipsius Angeli, quam comparat motui grauium & leuium, qui fluit etiam ab ipsis graui- bus, & leuibus. Idem plane asseruit *Capreol.* in 2. dist. 3. q. 2. ar. 3. ad argumentum Aureoli contra ter- tiam conclusionem. Et videtur fuisse sententia auctori libro *de causis* apud *Aristot.* propositio- ne 10. potest vero confirmari ratione facta in precedenti disputatione: quia cum intellectus an- geli naturalem vim habeat ad intelligendum, ha- bere quoque debet vel speciem naturaliter con- iunctam ab intrinseco, vel vim aliquam, qua eam sibi possit acquirere: alioqui facultas intelligen- di frustra videretur, quæ ex suis principijs natu- ralibus non haberet quo posset operari posse ope- rari, nisi à Deo omnino libere speciem reciperet.

Alij vero existimant species intelligibiles non nasci à natura ipsius Angeli, vt à naturali principio efficiendi, sed à Deo solo infundi & libere donari: nam si naturaliter fluere ab intellectu, seu na- tura angeli, non esset maior ratio, ob quam harum rerum, quæ futuræ sunt, species haberet, & non possibile, quod si possibile, non maior ratio esset, ob quam harum potius, quam aliarum ha- beret, vt superiori disputatione cap. 3. infereba- mus: atqui Angelum non habere species rerum omnium possibile imo solas futurarum habere, communis sententia docet, quam tradit *S. Th.* infra q. 56. ar. 2. ad 4. *Ferrat.* vero, qui pro hac poste- riori sententia refertur 2. contra gentes cap. 96. §. Ad- uertendum, priorem potius videtur secutus. Ego vero cenleo pro vtraque parte rem difficilem esse, nec plene satisfieri posse argumentis vtriusque. Facilius autem ad intelligendum mihi visum est, angelum speciebus non indigere, vt intelligat, sed sola sua virtute posse intelligere aliquid eo ipso, quod intra limites sui obiecti continetur. Quid vero intra latitudinem illius collocetur, ex sequen- tibus fiet manifestum.

ARTICVLVS III.

Vtrum superiores Angeli intelligant per species magis vniuersales, quam inferiores.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod superiores Angeli non intel- ligant per species magis vniuersales, quàm inferiores. Vniuersale enim esse videtur

quod à particularibus abstrahitur. Sed angelus non intelligunt per species à rebus abstractas. Ergo non potest dici, quod species intellectus angelici sint magis, vel minus vniuersales.

2. Præterea. Quod cognoscitur in spe- ciali perfectius cognoscitur, quam quod cognoscitur in vniuersali: quia cognosce- re aliquid in vniuersali, est quodammodo medium inter potentiam, & actum. Si er- go angeli superiores cognoscunt per for- mas magis vniuersales, quam inferiores: sequitur quod Angeli superiores habeant scientiam magis imperfectam, quam in- feriores. Quod est inconueniens.

3. Præterea. Idem non potest esse pro- pria ratio multorum. Sed si angelus su- perior cognoscat per vnam formam vni- uersalem diuersa, quæ inferior angelus co- gnoscit, per plures formas speciales, se- quitur quod Angelus superior vtiut vna forma vniuersali ad cognoscenda diuersa. Ergo non poterit habere propriam cogni- tionem de vtroque. Quod videtur incon- ueniens.

Sed contra est, quod dicit *Dionys.* 12. c. angelicæ Hierarch. quod superiores an- geli participant scientiam magis in vni- uersali, quàm inferiores. Et in libro de cau- sis dicitur, quod angeli superiores habent formas magis vniuersales.

Respondeo dicendum, quod ex hoc sunt in rebus aliqua superiora, quod sunt vni primo, quod est Deus, propinquiora & similia. In Deo autem tota plenitudo intellectus cognitiōis continetur in vno, scilicet in essentia diuina, per quā Deus omnia cognoscit. Quæ quidem in- telligibilis plenitudo in intelligibilibus creaturis inferiori modo, & minus simpli- citer intuenitur. Vnde oportet, quod ea, quæ Deus cognoscit per vnum, inferiores intellectus cognoscant per multa, & tan- to amplius per plura, quanto amplius intellectus inferior fuerit. Sic igitur, quanto angelus fuerit superior, tanto per pauciores species vniuersitatem intelli- gibilium apprehendere poterit: & ideo oportet, quod eius formæ sint vniuersa- liores, quæ ad plura se extendentes vna- quæque earum. Et de hoc exemplum aliquale in nobis perspicitur potest: sunt enim quidam, qui veritatem intelligibi- lem capere non possunt: nisi eis particu- latim per singula explicetur. Et hoc quidem ex debilitate intellectus eorum contingit. Alij vero, qui sunt fortioris intellectus, ex paucis multa capere pos- sunt.

Ad primum ergo dicendum, quod acci-
T t 3

dit vniuersali, vt à singularibus abstra-
tur: in quantum intellectus ille cogno-
scens à rebus cognitionem accipit. Si ve-
ro sit aliquis intellectus à rebus cogniti-
onem non accipiens, vniuersale ab eo co-
gnitum non erit abstractum, à rebus, sed
quodammodo ante res præexistēs: vel se-
cundum ordinem causæ, sicut vniuersales
rerum rationes sunt in verbo Dei: vel sal-
tem ordine naturæ, sicut vniuersales rerū
rationes sunt in intellectu Angelicō.

Ad secundum dicendum, quod cogno-
scere aliquid in vniuersali, dicitur dupli-
citer. Vno modo ex parte rei cognitæ vt
scilicet cognoscatur solum vniuersalis na-
tura rei. Et sic cognoscere aliquid in vni-
uersali est imperfectius. Imperfecte enim
cognosceret hominem, qui cognosceret
de eo solum, quod est animal. Alio modo
ex parte mediij cognoscendi. Et sic perfe-
ctius est cognoscere aliquid in vniuersali,
perfectior enim est intellectus qui per v-
num vniuersale medium potest singula
propria cognoscere, quam qui nō potest.

Ad tertium dicendum, quod idem non
potest esse plurium propria ratio adæqua-
ta. Sed si sit excellens, potest idem accipi
vt propria ratio & similitudo diuersorum.
Sicut in homine est vniuersalis pruden-
tia quantum ad omnes actus virtutum, &
potest accipi vt propria ratio & similitu-
do particularis prudentiæ, quæ est in leo-
ne ad actus magnanimitatis, & eius quæ
est in vulpe, ad actus cautelæ, & sic de al-
ijs. Similiter in essentia diuina accipitur
propter sui excellentiā propria ratio sin-
gularum quæ sunt ea. Vnde sibi singula
similatur secundum proprias rationes. Et
eodem modo dicendum est de ratione v-
niuersali, quæ est in mente angeli, quod
per eam propter eius excellentiam multa
cognosci possunt propria cognitione.

Conclusio est, Angeli quo superiores, per
pauciores species eadem cognoscunt.

DISPUTATIO CCII.

AN plurium rerum possit esse vna
species.

*Singularum rerum singulas species esse, dixerunt Scotus,
& alij cap. 1.
Vnam esse speciem, aut qualitatem in Angelis plura repræ-
sentantem, plures auctores dixerunt, cap. 2.*

CAPVT I.

*Singularum rerum singulas species esse, dixerunt
Scotus, & alij.*

Sicut sententia communi supponamus, An-
gelum per species intelligere, vt videamus, an
superior per pauciores intelligat, necesse est prius

ARTIC. III.

examinare, an plurium rerum vna species indi-
uidua esse possit: in qua difficultate prior opinio
sit asserentiū, non posse vnam & eandem speciem
esse plurium rerum. Ita docuerunt Statutū 2. d. 3. h. 1.
quasi. 10. §. Ista propositio, & §. Ad questionem, Statutū
quasi. 3. §. Alia opinio, Rich. ad. art. 6. quasi. 2. m. 2.
argumen. Sed contra maior quasi. 6. conclusio 2. p. 4.
Cumque prædicti auctores extitissent, omnium
naturarum species esse à principio ingentis an-
gelo, decursu autem temporis species in diuina-
rum & singularium à rebus ipsis accipi, docuit
singularum naturarum, & singularum indiuidua-
rum singulas species in angelo esse.

Probant vero primo, quia sequeretur ex opo-
posita sententia, vna specie repræsentari posse
infinita: nunc enim in supremo Angelo vel et v-
na species repræsentans omnes naturas possibili-
specie diuersas, vel saltem multas ex illis: illa igitur
poterit repræsentare omnes naturas inferiores
speciei: hæc autem sunt infinitæ, quia sub quolibet
specie infinitæ alie fieri possunt: ergo vna species
posset infinita repræsentare. Similiter de indi-
uiduis argui potest hoc modo. Si est species aliqua
intelligibilis repræsentans naturam ipsam, & al-
qua indiuidua illius, poterit infinita in indiuidua re-
præsentare. Porro autem infinita, siue naturas
eiusdem naturæ, siue naturas eiusdem generis
posse eadem specie repræsentari, probat Scotus,
quia vbi pluralitas secundum numerum requirit
perfectiorem maiorem, infinitas secundum nu-
merum requirit infinitam perfectionem: cum si,
vt quis portet tot libras, necesse est, habere tan-
tam virtutem, vt portet infinitas, oportet habere
infinitam: adde quod si esset vna species repræ-
sentans infinita saltem indiuidua, posset angelus
propria virtute omnia simul intelligere.

Secundo probat Scotus, vna qualitate nō pos-
se plura repræsentari, hoc argumentor: vna ratio
cognoscendi habet vnum obiectum adæquatum,
sub quo reliqua includuntur, sed vna species, seu
qualitas non potest habere vnum obiectum adæ-
quatum continens sub se reliqua, si per illam om-
nia creata repræsententur, vt quidam affirmant:
ergo nec vna species omnium creaturarum, nec
vna habitus ad omnia creata intelligenda, sicut
asserit Henricus, esse potest.

Tertio, nihil est principium cognoscendi a-
liud, nisi sit ratio illius, vel rationem eius conti-
neat, sed vna species non potest esse huiusmodi,
quia non potest continere rationes tot naturarum
in se, ergo non potest esse principium cognos-
cendi plura.

Quarto idem non potest affirmari pluribus di-
uersis inter se: ergo vna qualitas nō potest esse si-
mililitudo & species tam variarum naturarum.

CAPVT II.

*Vnam esse speciem, aut qualitatem in Angelis plura repræ-
sentantem, plures auctores dixerunt.*

Multo magis communis, & verior sententia
est, quæ docet posse vnam, & eandem numerum
specie plura diuersa repræsentari, & huiusmodi
species Angelis concessas fuisse. Opinio hæc fuit
Alberti lib. de quatuor coanis 1. part. q. 5. art. 12. p. 1. m. 1.
dium. Aggidij in 2. d. 3. 2. parte distinctionis q. 2. art. 2. d. 1.
3. & 4. Capreol. q. 2. art. 1. conclus. 7. & art. 3. ad argu-
menta Scoti contra illam Thom. de Argentina quasi. 2.